



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Amentia eorum, qui contra bestias queruntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

gentiâ, vel indulgentiâ, vel socordiâ; in Eliseum linguas stringere didicerunt; Dei sententiâ & mandato, bellua, in illos, dentes debuerunt stringere; vt mordacitas eorum, vrsinis morsibus plecteretur, & iustissimo Numinis iudicio lacerati docerent, sanctos viros contumelijs non lacerandos.

Abcant nunc ad vulgi opinionem, & querantur contra bestias, ad bestias à Deo damnati. 1. Opificem sapientissimum, in opere exquisitissimo reprehendunt. 2. Patefaciunt suam demerentiam, vt, qui velint, sibi belluas parere, cum ipsi suo Conditori obedire recusent. 3. Ostendunt se dominij plenitudinem, cum innocentia perdidisse. 4. Sibi plus licere volunt, quam Domino suo supremo, quem, ad scelera plectenda, nolunt vti creaturis, cum ipsi reos equis distrahant, camelis conculcent, vrsis obijciant ambedendos, leonibus deuorandos. 5. Adeò cæci sunt, vt non videant diuinam protectionem, adeò surdi, vt non audiant comminationem. De prauaricatoribus enim dicit: *Deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium saper terram, atque serpentium.* Vel, si audiunt, cur non metuunt; si vident, cur non cauent? Ideò enim, iteratò ait: *Immittam in vos famem, & bestias pessimas, vsq; ad interuentionem.* Sed non mouentur minis faxea corda. 6. Inde mentem amittunt, vnde eos sapere, & mundi Rectorem agnoscere oporteret, cuius iustissima gubernatione, bestia in reos irruunt, quæ non audent tangere, aut libare innocentes. Aut certè, dum nocentes lædunt, innocentes defendunt. Quo pacto, cum aliquando hostes, noctu, nauibus appulissent, & arcem Neapolitanam occupaturi, muros, scalis clam appositis, magno silentio transcendissent, præter opinionem, inciderunt in leones, qui multos ex illis dilacerarunt, & suo rugitu, vigiles excitârunt, ita, vt non paucis desideratis, irritò conatu discedere coacti sint.

Contrarium, apud Megarenses euenit. Apud eos, Cassius leones, quos Ædilibus ludis præparauerat, reliquit. Cum ergo ciuitas, per Calenum, caperetur, Megarenses, ferarum carceres effregunt, vinculis eorum relaxatis, vt irruentibus hostibus objectæ negotium tantisper facerent, dum sibi, per moram aliquam, consulere possent. Verùm longè aliter euenit, quia leones in-

ciues

VIII

Deuter. 32. 24.

Immittam in vos famem, & bestias pessimas, vsq; ad interuentionem.

Phil. Camer. cent. 1. Hor. sub cap. 22.

Plutarch. in vita Bruti.



ciues ipsos truculenta scœuitia conuersi, tantam inermium stragem edidère, dum obuios quosque adoriuntur, sternunt, atque dilacerant, ut spectaculum illud fuerit vel ipsis hostibus miserandum. Hæc iudicia Dei sunt machinas in ipsos authores vertetis. Sed in sacris exempla non desunt.

IX.

Sap. 16. 9.

Clarissimum est, quod supra de Ægyptijs attuli: illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus, & non est inuenta san-  
tas anima illorum: quia digni erant ab huiusmodi exterminari. Filii  
autem tuos (ô Deus) nec draconum venenatorum vicerunt dentes.

Dan. 7.

Atque ut in leonibus quoque id appareret, nonne Daniel, in la-  
cu leonum, lapide & annulis regis ac optimatum, tota nocte  
clausus fuit, & nulla læsio inuenta est in eo? jubente autem rege, ab-  
ducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem, & in lacum leonum  
missi sunt; ipsi, & filij, & uxores eorum: & non peruenierunt usque ad  
panimentum lacu, donec arripere eos leones, & omnia ossa eorum  
comminuerunt? Ex quo facto perspicitur, leones, qui Danieli  
pepercerunt, fuisse famelicos, fuisse liberos, nullo pallio obvela-  
tos, nulla consuetudine cicuratos, nullis beneficijs delinctorum,  
nullis blanditijs permulso, sed diuinæ potentie miraculo cohibi-  
tos, ne in Prophetam irruerent. Vnde ipse ait: Deus meus misit  
Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi,  
etiam si leones è lacu non amouerentur, etiam si oculi eorum non  
fascinarentur; etiam si altissimo somno non sopirentur, Angelus  
à Deo missus satis fortis fuit, ut os illis obstrueret, ut vngues co-  
hiberet, ut famem suspenderet, ut feritatem mitigaret. Quomodo  
autem diuinæ providentiæ leones à Daniele cohibiti sunt,  
ita & sunt in impios calumniatores incitati, ut, mutatâ phanta-  
sia, illis Danielis æmuli, interiore sensu, representarentur vel  
tanquam ipsis contrarij, & à quibus lædi possent; vel tanquam  
scæca conueniens & pertinens ad Pastum. Eodem igitur loco, atque  
per easdem belluas, mundi Moderator demonstravit, bestijs scilicet  
vti ad hominum vel defendendam innocentiam, vel plectendam  
impietatem. Quod si autem etiam permittit Sanctos, & sibi char-  
rissimos, in theatris, tyrannorum imperio, à belluis lacerari; &  
sicut Antiochenum illum Ignatium, à leonibus occidi, maximo  
illos beneficio honorat, Tamen enim, etiam per illos, potest  
obstruere

vide Aristot.  
lib. 9. de hist.  
anim. c. 44.

lib. 9. de hist.  
anim. c. 44.

lib. 9. de hist.  
anim. c. 44.